



R. P. Thomæ Tamburini Ë Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Clausula sexta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

rio. Ratio hujus sententiæ est. Prima, quia Petrus de Cara in comp. trium Gratiar. p. 279. apud Mend. loc. cit. inter cæteras facultates. Commissarii Generalis recenset hanc. Item possunt (loquitur Commissarius Generalis Cruciatæ) concedere licentiam, ut quis celebret, vel celebrare faciat in Oratorio privato, quod prius fuerit ab Ordinario visitatum.

3. Secunda, quia idem Mendo. & Gallegus locis citatis testantur de ipsa praxi in Hispania, quia per annos multos à Variis Commissariis Generalibus hæc concessio facta est pluribus, sed certe solum Nobilibus, ac Dianastis, & in dies fit id quod ipsi probant ex informatione, quam iidem exceperunt ab ipsis Commissariis Generalibus, & ab eorumdem Secretariis, qui ejusmodi licentiam expedire solent.

4. Tertia, quia quod in Bulla Cruciatæ hoc Privilegium non inveniatur, nihil obstat. Credendum enim pro certo est, haberi ex aliqua alia Bulla, vel rescripto Commissariis directo, vel certe dicendum, usum tot annorum circa hanc facultatem legitimè concessisse jam Commissariis Generalibus ejusmodi potestatem.

5. Ut quid ego sentio, clarius proferam: Sciendum est Commissarium Generalem Cruciatæ residere in Hispania, atque ad hoc solere constitui alios commissarios provinciales in quacunq[ue] provincia, in qua Bulla promulgatur, & ab his Provincialibus substitui, seu nominari alios commissarios particulares in singulis civitatibus seu Diocæsesibus.

6. His distinctis, Puto Primum, esse valde probabile, commissarium generalem, qui in Hispania residet potiri, (saltem pro Nobilibus, pro quibus est praxis) potestatem prædicta, id enim admodum verisimile reddunt modo allatæ rationes.

7. Et quidem existimo (ut id suo hoc loco non præteream) eum cui conceditur à Commissario Generali hoc Privilegium, non necessariò debere habere Bullam Cruciatæ, quia hanc conditionem de habenda Bulla, non videtur requirere textus hujus concessionis; putarem tamen aliquam elemosinam ad arbitrium Commissarii esse dandam in subsidium belli contra Infideles; quia in his privilegiis Cruciatæ semper habetur à Pontifice dicti subsidii temporalis ratio.

8. Puto Secundò, commissarios provinciales, multo minus particulares, hac potestate nequaquam gaudere. Ratio est, quia licet commissarius generalis habeat à Pontifice facultatem communicandi commissariis provincialibus omnem eandem potestatem, quam ipse commissarius generalis habet; sic enim dicitur in Bulla originali, quam originalem affert Ludovicus à Cruce ipso initio expositionis Bullæ. Item ut Commissarius Generalis deputare possit Commissarios in singulis Provinciis per locorum Ordinarios, quorum conscientia onerantur, prævia nostra deliberatione approbandos, cum simili, vel limitata potestate, licet, inquam, hac universali potestate gaudeat, unde dicere quis posset, etiam hanc, de qua loquimur, posse concedere commissariis provincialibus; tamen non habemus solidum fundamentum affirmandi quod de facto concesserit.

9. Dices: In delegatione, qua commissarius generalis delegat commissarium provincialem, sic habetur, ut ad verbum refert Tancr. T. 2. Q. Mor. tr. 5. q. 46. *Damus potestatem, & facultatem cum omnibus suis incidentiis, & dependentiis, adnexitatibus, & connexitatibus secundum, & sicut nos habemus à Sanctitate Summi Pontificis, & sicut nos illas tenemus plenissime.* Ecce ergo quomodo totam potestatem suam, atque adeo hanc, Generalis de facto communicat Provincialibus.

10. Respondco, recolendo, quòmodo n. 4. dictum est, hanc potestatem non habere commissarium generalem ex vi tenoris Bullæ Cruciatæ, quia in illa, ne verbum quidem de hac, sed aliunde, &c. Dico igitur, esse commissarius generalis habere potestatem communi-

candi omnia, quæ pertinent ad privilegia Bullæ Cruciatæ, sed unde habet quod possit communicare etiam illud, quod aliunde habuit, vel ex alio rescripto, vel ex consuetudine præscripta, & connexionem vel militiam, vel fati remotam habet cum ejusdem Bullæ privilegio, verba de facto communicet, cum per hoc solum communicet connexa, & annexa tenori Bullæ Cruciatæ, in quo tenore, ne vestigium quidem est hujus Privilegii de Oratoriis privatis concedendis: Incerta igitur de rem res est, & cum sit magni momenti, non est facile præsumenda.

11. Nec valet, si dicas aliquando id concessum hic Panormi à commissario provinciali fuisse. Nec valet nequam, quia semel, aut iterum id esse factum non potest præscriptionem; & credendum est, per errorem de bona fide tunc factum quod hodie re diligenter examinata, fieri non potest.

§. VI. *Quid possit concedere Commissarius circa celebrationem Missæ, quoad horam celebrandi.*

1. Propter connexionem, quam habet hæc quaestio cum præcedentibus, hic eam breviter tractemus. Præmittenda autem ad ejus explicationem est loquens doctrina.

Celebrandi hora est Auroræ tempus, usque ad Meridiem, ut in *Opusculo de Sac. Miss. lib. 1. c. 63. 4.* decretum à nobis est; ubi in summa dixi licere probabilissima opinione Missam incipere duabus plus minus horis, ante Solis ortum; hoc est, antequam corpus solis oculis nostris appareat: Terminus autem, ultra quem celebrari non licet, dixi ibidem, esse Meridiem, sed certè moraliter acceptum, hoc est, ut incipiat Missa possit ante Meridiem, vel in ipso Meridie licet adhibetur postea.

2. Generalis ergo commissarius potest Nobilibus tamen, aut (juxta arbitrium ipsius commissarii) personis qualificatis concedere, ut per horam, antequam incipiat dies & per horam post Meridiem, Missa, & alia Divina Officia incipi possint, idque coram ipsa persona qualificata habente Bullam, & ejus familiaribus, & consanguineis. Vbi vides, non quemlibet, etiam quodlibet tum habentem Bullam, id ex se posse, sed solum illas qualificatas Bullam habentibus, quibus expresse concesserit commissarius. Hanc potestatem communicat à commissario generali commissariis provincialibus, quibus juxta dicta §. 4. n. 8. conceduntur connexa, & annexa, probabile iudicatio.

3. Inquires, Quandoquidam incipit hæc hora, quæ datur ex privilegio?

Respondeo. Cum Privilegium debeat aliquid operari, omnes autem Missam possint incipere duabus horis ante solis ortum; Ideo qui habet hoc privilegium poterit tribus, plus minus horis ante dictum ortum. Et quia omnes item possunt incipere Missam in ipso Meridie, idcirco, qui hoc privilegio gaudet potest incipere una hora post ipsum Meridiem. Ita Trull. de Bull. l. 1. §. 5. d. 3. n. 3. cum aliis.

CLAVSULA VI

Conceditur item tempore interdicti (id est interdicti sacralis generalis) Encharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschæ, posse recipere.